



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De his qui propter sanctum Meletium & Paulinum Antiochienses Episcopos
contenderint. & de Iureiurando propter episcopalē sedem facto. Capvt III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

restaretur, ne se deferent, neue dissensionibus ecclesiam diuellerent, quam vnicam à Deo & Apostolis traditam pertinacia & ambitio in multas distraheret: Huius quidem studij & Eulalius fuit Amasiæ in Ponto Episcopus. Fertur enim post reditum offendisse quendam alium ex Ariani Episcopum præfectum ecclesiæ suæ, esse autem in vniuersum, qui huic auscultarent, ne quinquaginta quidem: sollicitus tamé de farcienda inter omnes vniõne, vltro obsecrasset, vt is primatum obtineret, & communi opera ecclesiam gubernaret, quo primatum ipsum haberet quasi præmium seruatae concordiae: Verum ille vt huic nõ obtemperauit, ita ne paucis quidem istis, quos habebat, diu præfutura erat, vt pote quod & hi se reliquis coniunxerint.

De his qui propter sanctum Meletium & Paulinum Antiochienses Episcopos contenderint. & de Iureiurando propter episcopalem sedem facto.

CAPVT III.

EAdem tempestate cum & Meletius ex dictæ legis vigore Antiochiam Syriæ reuersus esset, mira quædam in populo suborta est contetio. Etenim superstite adhuc Paulino, quem Valens Imperator ob pietatem (sicuti diximus) reueritus, exilio multare non ausus fuerat, erant qui Meletium illi in Episcopali sede vellent esse consortem: His dum Paulini fautores refragantur, & Meletij ordinationem, vt per Episcopos Arianos factam, criminantur, qui pro Meletio stabant, vi perfecerunt id, quod studuerant: Etenim cum multitudine essent non contemnenda, in vna quadam Ecclesia suburbana, in Episcopali solio illi collocarunt: Tumultuantibus igitur vtrinque factionibus cum præsens expectaretur seditio, admirabile quoddam conciliũ obtinuit, vt ad concordiam reducerentur: Sic enim hinc inde conuentum est, vt iureiurando illos adstringerent, qui vel ad Episcopatum inibi administrandum habebatur idonei, vel in eius expectatione essent, (qui omnes præter Flavianum numero quinque erant) quod neque abiturum sint, neque electione facta suscepturi Episcopatum istum, quam diu vel Paulinus, vel Meletius in viuis esset, quin etiam concessuri sint, vt alterutro eorum mortuo alter episcopatum solus obtineat:

X ij Iureiu-